

† Pl. R. P. Josephus Goettelmann.

Primum ex Patribus capitularibus nuperrimi capituli generalis, non annis valde provectum aut corpore languentem, sed robusta aetate et prospera antehac yaletudine utentem mors inopinata abripuit, Pl. R. P. Josephum Goettelmann, superiorem provincialem provinciae Argentoratensis. Eheu! qui elapsis mensibus maio et iunio egregium Patrem conspexerunt vice-secretarii munere in capitulo fungentem, numne putassent virum adeo alacrem atque operosum, bono Congregationis promovendo et regularis observantiae tuendae omni studio incumbentem, terrestris vitae cursum tam cito completurum esse? Verum, ut ait pius Thomas a Kempis,

« homo proponit, sed Deus disponit, nec est in homine via eius » (*De Im. Ch.*, l. 1, c. 19).

Josephus Goettelmann natus est die 24 ianuarii a. 1870 in suburbio civitatis Obernai in Alsatia sub celebri monte Sanctae Odiliae, baptizatus vero in ecclesia parochiali pagi vicini Ottrott, cui se accensere paternae domus incolis, ob minorem loci distantiam, liberum fuit. A teneris annis indole egregiisque animi dotibus emicuit, ita ut pia eum mater die quodam his verbis admoneret: « Aut valde honeste te geres, aut aliquando valde nequam eris ». Ipse autem, cum in schola p[re]a ceteris proficeret, primum id unice in votis habuit, ut aliquando ludimagister fieret. Sed Deus miris modis eum ad se traxit. Itaque tredecim annos natus, faustissima die, qua primum ei ad sacram mensam eucharisticam accedere licuit, singulari gratia praeventus perpetuae castitatis voto totum se B. Mariae Virgini dicavit, simulque animarum venator et missionarius fieri decrevit, a quo proposito nulla unquam ratione dimoveri potuit.

Parochus loci, de Josephi voluntate certior factus, ad R. P. Moppert C. SS. Red., ex Ottrott oriundum et tum temporis per aliquot dies in paterna domo commorantem, rem detulit, cuius ope et cura adolescens nostrar in iuvenatum provinciae Gallico-Helveticae apud Operarios in Helvetia sitam mense septembri a. 1883 susceptus est. Ibi mox ingenio pulcherrimo, studio proficiendi, solida pietate et praecoci quadam morum gravitate, magnam magistrorum existimationem et affectum sibi conciliavit. Sed pro dolor! post duos circiter annos ex osse brachii sinistri, quod quatuor annorum puer olim cadendo offenderat, graviter laborare coepit. Arte chirurgica et multis curis morbi vis levari quidem potuit, sed non extingui.

Nihilominus mense Augusto a. 1889 in novitiatum admittitur, sed, completo tirocinii anno, propter valetudinem a votis nuncupandis arcetur. Ex Superiorum sententia et auctoritate in domum Uvrier se recepit. Brachii morbo ingravescente et medicis malum insanabile iudicantibus, perdolens iuvenis, confratrum et amicorum turba stipatus, ingeminatis precibus ad Matrem de Perpetuo Succursu confugit. Mirum! ipso die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. a. 1890 cariosi ossis fragmentum ex brachio sponte se solvit, mox vulnus ex toto consanuit, neque tenax morbus unquam revertit. Hoc insigne beneficium colesti suae Matri semper retulit acceptum, eamque sub titulo de Perpetuo Succursu, dum vixit, grata memoria et singulari affectu prosecutus est.

Itaque tandem, Deo favente, in sinum Congregationis, emissa professione, receptus est die 19 iulii 1891. Ob speciales quasdam rationes Superiores opportunum duxerunt eum studentatui Provinciae Romanae adiungere. Unde per quatuor annos inter Italos, Romae primum, deinde Cortonae degit, quod ad eius animum plenius excolendum et spiritu alphoniano magis imbuendum non parum contulit.

Anno 1895 domus nostrae in Alsatia-Lotharingia, ex quibus in Bismarckiana catholicorum persecutione (dicta « Kulturkampf ») Nostri expulsi fuerant, restitutae sunt et vice-provincia Alsatico-Lotharingica erecta est, Rmō Patri Generali immediate subiecta. Tum ex studentatu provinciae Gallico-Helveticae duodecim clericis studentes, ex Alsatia-Lotharingia oriundi, distracti et Luxemburgum translati sunt, ut ibi, a Patribus provinciae Germaniae inferioris fraterno hospitio ad tempus recepti, nascentis vice-provinciae studentatum inchoarent, quibus et R. Fr. Goettelmann additus est. Hic mense augusto a. 1896 sacerdotio iniciatus, per duos adhuc annos munere lectoris philosophiae in studentatu functus est, postea domui Teterchen adscriptus, ut sacrarum missionum ministerio se devoveret, quod tanta vi et virtute, tanto animarum fructu fecit, ut paucos post annos in hac arte vere dux et princeps evaserit, tantoque zelo indefesse laboravit, ut viginti annorum spatio non minus quam 480 maiores labores apostolicos a se suspectos numeraverit.

Interea non foris tantum, sed et intus Congregationi praeclare inservit. Iam anno 1901, inchoato aetatis suaे anno secundo et trigesimo, Rector domus Teterchen electus est, postea per octo annos domui Mulhusii, deinde iterum domui Teterchen prae fuit. Tandem post finem belli, cum Pl. R. P. Humbrecht morbo labefactus provinciae Argentoratensis gubernacula validioribus manibus relinquere cogeretur, R. P. Goettelmann in eius locum suffectus est, die 8 Iunii 1918.

Novus Provincialis arduum opus sibi commissum strenue aggressus est. Omnes nervos eo contendit, non modo ut belli damna et detrimenta sarciret, verum etiam ut provinciam ad feliciorem statum perduceret. Hinc nulla mora interposita alumnorum numerum, prudenti tamen delectu, augere, iuvenatum et studentatum aptiore studiorum ordine novis rerum conditionibus accommodare, tres iuniores Patres, qui se ad officium lectoris perfecte prae pararent ad universitates Romanas aut Friburgensem mittere, in omnibus Provinciae domibus regularem observantiam firmare, labores apostolicos promovere, Episcoporum et cleri existimationem nostris conciliare, omnibus bono exemplo preeire coepit.

Deo opitulante Provinciam nova fundatione in Helvetia ampliavit, domo scil. Bernrain prope Emmishofen e regione civitatis Constantiae sita, in qua quatuor aut quinque Patres nomine sacerdotum auxiliarium degunt, cum novos religiosorum conventus proprie dictos erigere per leges Confederationis Helveticae hactenus non liceat. Insuper in antiquam domum Landser, anno 1842 fundatam, quam gubernium germanicum anno 1873 suppresserat et etiam cessante rerum catholicarum impugnatione (« Kulturkampf ») restitui prohibebat, mense maio anni 1921 nostros reduxit, ibique novitiatum collocavit. A domo autem Friburgensi, ut difficultatibus rei pecuniariae ex nummorum gallicorum et helveticorum pretii

disparitate enatis aliquod remedium afferret, partem iuvenatus, duas videlicet inferiores classes avulsit atque in domum alsaticam ad Tres Spicas transtulit. Missiones transmarinas provinciae Argentoratensi concreditas, a pluribus annis languescentes et dire afflictatas, optimis Patribus auxit, vehementer dolens se annis proxime venturis, ob iuniorum Patrum penuria, novam domum Pacensem (La Paz) et nascentem vice-provinciam Boliviā non posse validioribus missionariorum manipulis iuvare. Inter haec non cessavit in missionibus et exercitiis spiritualibus tradendis operam impendere; imo et opus quoddam, cui iam ante bellum conscribendo insudaverat, typis mandare voluit. Liber, lingua germanica exaratus, inscribitur: « Optima virtutis schola, Mariale Rosarium »¹ et Congregationis nostrae sodalibus hac speciali ratione se commendat, quod singularis Rosarii mysteriis singulas virtutes menstruas servato consueto ordine connectit. Hucusque prima pars tantum prelo subiecta est; sed, cum ipse auctor opus scriptis dudum perfecerit, reliquae partes mox sequi poterunt.

Ast laborum onere, ne loquar de aerumnis et toleratis pro bono suae provinciae animi anxietatibus, eheu! ante tempus egregius vir obrutus est. Ex capitulo generali domum redux, et lassitudine quadam iam oppressus, sed officio suo deesse nolens, vix diem unum quietis sibi concessit, sed statim visitationem canonicam domorum provinciae instituere coepit. Die 12 iulii ex Bernain absumptis fere viribus Tres Spicas advenit. Altero die, post celebratum magno conatu missae sacrificium, ardenti febri lectulo se tenere coactus est, et quamquam medici et confratres omnem curam adhibuerunt, malum non decrevit, imo post aliquot dies medicus Patribus nostris familiarissimus perniciosissimi typhi signa indubia agnovit et dilectum Patrem in nosocomium vicinae urbis Colmar melioris curationis gratia iussit transferri. Ibi proximo iam die ultimis Ecclesiae sacramentis munitus est, quae magno cum gudio suscepit, liturgicis precibus alta voce et mira pietate ipse respondens, et paulo post A. R. Patri Rectori Trium Spicarum eum invisenti dixit: « O quanta consolatio hauritur ex ultimis sacramentis! ». Sequentibus diebus, febris ardore aliquantum remisso, iam sperabamus pretiosam hanc vitam nobis conservatum iri. Assidue ad hanc gratiam obtinendam in tota provincia preces fusae sunt. Deus autem optimus maximus alia decreverat. Ipse vero carissimus Pater omnibus votis ad coelestem patriam anhelabat. Dicente illi confratre quodam: « Quid tum de provincia suo optimo duce orbata fiet? » respondit: « Alius nunc pro me currum trahat! ».

Tandem ultima ei luxit dies 2 Augusti, festum S. Alphonsi. Sub vesperum duo confratres ex Tribus Spicis accurrerunt, ut morti vicino in

(1) *Die beste Tugendschule, der Rosenkranz.* I, Der freudenreiche Rosenkranz, von G. J. Goettelmann C. SS. R., Hausen, Saarlouis.

extremo agone assisterent. Eos facile agnovit et leniter subridens exceptit. Cum ei dicerent festum esse S. Alphonsi et beatissimi Patris nostri imaginem ante oculos ponerent: « Ita, ait, S. Alphonsi ! ». Haec fuerunt ultima eius verba. Et statim in devotionis suae significationem manum imagini admovens, sancti Fundatoris vultum blande mulcebat. Usque ad medium noctem recitatis ei iaculatoris precatiunculis mente se unire visus est, postea creditur sensu fuisse destitutus. Hora autem fere tertia placide ad meliorem vitam migravit coronam accepturus, quam S. Alphonsus genuinis Congregationis filii in coelo paratam esse praedixit.

Sane Pl. R. P. Josephus Goettelmann non modo genuinus fuit Congregationis filius, sed unus e potioribus. Semper ei decori esse eamque promo vere omnibus viribus studuit. Fuit exemplum optimi religiosi, sincera pietate, stricta regularum observantia, zelo indefesso, animi rectitudine, caritate fraterna, paupertatis amore et quadam vitae austernitate insignis. Bonus miles Christi Iesu e medio certamine ad praemia vocatus est. R. i. p. !